



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. Quando proponi debeat reconventio, & quomodo in illa procedendum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Causis appellationum non datur reconventioni locus, ubi iudex ab actore non spontè eligitur, sed necessariò ob gravamen seu injuriam sibi factam aditur. Tertio spoliatus agens iudicio possessorio non potest reconveniri à Reo iudicio petitorio. Quarto non admittitur reconventio in causis executionis, quæ paratam habere debent executionem in bonis debitoris. Quintò locum non habet reconventio, si impleatur officium iudicis extrajudicialiter. Vide plura de his & aliis similibus alibi, vel apud Civilistas.

## §. V.

Quando proponi debeat reconventio, & quomodo in illa procedendum?

Proponi debet reconventio in exordio litis statim, ante litis contestationem, vel statim post illam, antequam ulterius progrediatur, uti habetur in *Amben. De executoribus cap. 2. §. Sancimus 1. collat. 7. junctà Gloss. V. mox.* Et quamvis de jure Canonico reconventio fieri possit etiam in progressu litis, usque ad sententiam definitivam, uti patet ex *c. Dispensia. 3. §. Reus quoque. De rescript. in 6.* non tamen fieri potest in progressu litis cum eo privilegio, ut pari modo causæ conventionis, & reconventionis tractentur, sed unà expedità ad alteram transitu fieri debet; in aliis enim casibus, si debito tempore & modo reconventio apud eundem iudicem, etiam delegatum interposita fuit, potest compellere iudex reconventum actorem

ad respondendum reconventioni, ut simul utraq; causa, tam conventionis, quàm reconventionis expediatur. *c. Ex literis 1. h. t.* (nisi priùs de causa una liqueat, aut reconveniens ultrò cedat favori suo, aut omnino deserat reconventionem) ita tamen, ut semper præcedentiam habeat conventionis cause, juxta illud, qui prior appellat, prior agit, *l. Qui appellat. 29. junctà Gloss. V. Qui appellat. ff. De iudic.*

Modus autem procedendi, qui observatur in causa conventionis, (præsertim vi rescripti alicujus impetrati) observari etiam debet in causa reconventionis, prout sumitur ex *c. Prudentiam. 2. h. t.* actoris enim & rei, ut ait Pontifex, in tali casu eadem est conditio, & jure eodem utique censeri debet, & hinc clausula posita in rescripto conventionis, ut procedatur v. g. appellatione remotà observari etiam debet in causa reconventionis, (etsi de hoc in rescripto delegationis nulla facta sit expressa mentio) & quidem non solum si ad instantiam actoris rescriptum impetratum est, ut vult *Gloss. fin. in c. 2. h. t.* sed etiam, si motu proprio in causa conventionis emanavit, ob eandem scilicet in utroque casu rationem; & si Reus vi rescripti impetrati ab actore tractus fuit ultra duas dioceses extra Diocësin, & ibi conventus, potest eodem favore fruens, ibidem reconvenire actorem: & si nolit actor respondere ad libellum reconventionis, nec tenebitur reus respondere ad libellum conventionis, &c.